

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis secundâ Aprilis, anni M. DCC. XLIII.

M. ANTONIO-NICOLAO GUENAULT, Doctore Medico, Præside.

An ut immodicus hebetat, sic moderatus acuit vini usus, ingenium?

I.


IMIUM omne naturæ inimicum. Verissima sanè, nulloque argumento infirmanda *hygieines* regula. Infelicem hanc morborum quibus quotidie affligimur catervam à solo rerum non naturalium abusu scaturire, meritò pronunciare ausim. Et certè morbi cujuslibet causam altiùs scrutare, aliquam semper tum cibi, tum potûs aut aliorum id genus intemperantiam arguendam esse reperies. Sic ille pedes, genua manusque Arthritico dolore quasi dilaniatus, & teterrimo cruciatu rugiens, vel nocturnorum studiorum, vel hibernarum per nives paludesque venationum, vel etiam effrænatæ veneris, vel tandem assiduarum compotationum pœnas luit miserrimè. Sic quem tu olim infantem ingeniosas nugas lepidulè balbutientem tam sæpe miratus es, pubes jam factus, & inquietâ indutus adolescentiâ, furentem libidinem quoquomodò

ultrà vires explendo, pinguioris tandem tardiorisque factus est Minervæ. Sic denique ille choreis immoderatis, equitatione, pilâ, &c. exhaustâ spirituum penu, inevitabili artuum collapsu tandem fatiscit, aut spasmodicâ riget contractione. Infinitus sim si omnia quæ afferri possunt exempla enumerarem: satis sit dixisse nihil in naturâ esse corpori nostro tam amicum, quod non ipsi quoque immodico usu inimicum fieri queat. Indè panis ipsius assuetus, sed moderatus, usus optimus, *satietas verò pessima*; (*a*) indè etiam vinum, si inconditâ assiduè quantitate ingeratur, ingenii tandem aciem obtundit & hebetat, si parvâ & honestâ, excitat & acuit.

Finge tibi tumultuosas ebriorum epulas, genialesque sapientum dapes: quàm immane utrimquè discrimen! Hi mœstitiam & curas, illi rationem judiciumque imâ recondunt lagenâ. Hîc amæna lætis vultibus insidet voluptas, gratus resonat cantilenarum concentus, is micanti cyathorum colori adverso lumine modestè inhians, Bacchum, iste amatoriâ eloquentiâ disertus, Venerem, celebrat, omnium denique oribus crepant lepidæ sale attico facetiæ. Illic personant omnia vocibus ebriorum, natant pavimenta vino, madent parietes, illi natis in usum lætitiæ scyphis pugnant, & barbaro Thracum more verecundum Bacchum, sanguineis vexant jurgiis, illi turpiter vomentes frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum & totum implent conclave. At surgentes, & è mensâ recedentes utrosque convivas intuere, en ut ille tardo ac nimis irriguo gutture extremas tantùm vocum syllabas promiscuè cum vinosis ructibus expellit, viden alterum sinuoso tramite titubantem? Jam labantia vino genua inglorium corpus fulcire renuunt, tandem procumbit humi vir, nec illum coram omnibus crapulam pudet edormire. Quàm verò jucunda aliundè sese offerunt spectacula! Alii florentes hortorum xystos firmo & alacri pede spatiantur, alii ludis, choreis alii exercentur: hîc omnia lætitiam spirant, cuncta illic tristem infamiam redolent. O quàm diversas pro diversâ dosi liquor idem agit scenas!

(*a*) *Hipp.*

I I.

INDE etiam fortasse accidit ut Mahumetana Religio vinum omne à Turcarum epulis tam iniquè removerit. At verò quanta inde effluxerint incommoda satis superque innotescet, si totam Asiam aquatico potu miserè irriguam cum Europâ nostrâ honesto Baccho recreatâ conferamus. Illinc exulante vino, huc omnes ingenuas artes in terram nostram exulasse dixeris, ibique favente eodem vino fuisse propagatas. Hîc adsunt homines studiis expoliti, morum urbanitate ingeniique elegantiâ ubique conspicui, illic barbara gens, sine litteris, incultis moribus inconcinna, ac tandem cordis mentisque ferocitate Thracibus haud absimilis. Nec est quod objicias illos athletico corporis robore, firmâque sanitate vigere, non enim tam latis humeris, tam robustis lacertis per omne periculum impunè ruerent viribus audaces, nisi vinum nostrum Opio suo mentirentur: inconcussum sanè vini necessitatis argumentum. Quo igitur fato, etiam apud nos bene multi, solis vini incommodis intenti, ac de ipsius utilitate parum solliciti, illud & à nostris mensis omninò arcendum arbitrantur? Nonne æs triplex circa guttur habent, qui surdis faucibus aquam pariter & vinum excipientes, illam huic volunt esse præponendam?

I I I.

QUID ergo liquori nostro tam immane exprobratis Absthemii judices? Quorsùm tandem severo tristique supercilio floridam ac gemmis bene distinctam bibulorum faciem tam acerbè increpatis? Vinum immodicè haustum ingenium hebetat. Esto. At verò nonne & aquæ ipsius nimia potatio, laxatis ventriculi fibris, dige-

ſtiones depravat, ac inde adulteratis fnnctionibus, mortem ipſam tandem portendit? Ne tamen crimen noſtrum alterius crimine excuſare videamur, meritas Vini laudes affero. Quid illo citiùs potentiùſque fractas labore vires exſuſcitat? Vinum averſos amicos componit, novas amicitias comparat, junctas fovet, veteres conglutinat. Pauci vere Floram, nulli æſtate Cererem, omnes autumno Bacchum, celebrant, ac inſtantibus vindemiis paſſim exultantes, tam benefici ſucci natalitiis publico plauſu geſtiunt acclamare. Ut autem omnia quæ à quæſtione noſtrâ videri poſſent aliena, omittam, ad argumentum propero: Moderatus acuit vini uſus ingenium. Dubitas? Litem ergo dirimat luculentus Bacchicæ diſputationis arbiter Horatius. Sic ille Amphoram ſuam amicè compellat,

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumquè duro: tu ſapientium
Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo.

Non igitur adeò mirere ſi quem in remotis rupibus carmina docentem Bacchum viderat, hunc Poëtices Magiſtrum ſibi ac Præceptorem elegerit. Qui Baccho potiùs quàm Phæbo plenum rapi ſe confeſſus eſt, Maſſico ſæpiùs quàm Permeſſio liquore ebrius inſanivit; & quidem non immeritò: non enim tam grandia ceciniſſet Vates Falerno pariter ac Parnaſſio colli amicus, niſi utriuſque montis Deos incolas calenti cerebro conſociaſſet. At ne quis inter homines ingenii elegantiâ celebres Flaccum ſolum Vino devotum fuiſſe arbitretur. Viri olim ſagacitate maximè illuſtres, ipſique morum gravitate commendatiſſimi, acerrimi quoque vini præcones extiterunt. Homerus Deorum & Heroüm commendatione in æternum conſpicuus vini laudibus vinoſus arguitur, ac tandem, ut Virgilium, Ovidium, Plinium, & tot alios omittam,

Narratur & priſci Catonis
Sæpe Mero caluiſſe virtus.

I V.

VERUM ne perdoctos tot illuſtrium potatorum cineres movere videar imprudens, priſcam patrum ætatem jam ſileo, ac noſtrum ſæculum appello. Vos teſtor, Regiones optimo vino feraces, quæ tot litteratos in ſinu veſtro, quaſi ad vitis umbram, educatos, in gloriam veſtram totiès emiſiſtis. Sacratum Mnemoſines Limen ingredi liceat; venerandis affixa parietibus litterariæ Reipublicæ Heroüm inſignia evolvamus: Quot emicant Burgundi Authores (*a*) Pampineâ corollâ non minùs quàm Phæbeâ lauro illuſtres. Ille (*b*) ſplendidè ſtipatus Heroïbus quos in ſcenam Dramaticam totius Galliæ plauſu tam grandia tonantes edidit, in patriæ ſuæ pariter ac ſui ipſius laudem eluceſcit. Alter (*c*) Cothurno æquè ac Socco decenter evinctus, nec Metromaniaco minùs quàm Seeciæ Principe (*d*) clarus, Veneri etiam carmina laudeſque poſcenti arridere non dedignatur. Ut brevis ſim, cæteros taceo. Sed quid tu benignam Campaniam noſtram procaci dente inſectaris? Quid de *nonaginta novem ovibus* inſulsè muſſitas? Nonne ſuis etiam litteratis Viris (*e*) Campania glorietur? Sed, ne Campanus Campanos fricare videar, fateor Provinciam hanc, etiamſi generoſo vino commendandam, litterariam tamen Lauream alteri ultrò concedere, at inde magis ac

(*a*) Voyez la Biblioteque de Bourgogne.
(*b*) Mr Crébillon.
(*c*) M. Pyrrhon.
(*d*) Guſtave, Tragédie de M. Pyrrhon.
(*e*) Il y a eu un aſſez grand nombre de gens de Lettres ſortis de Champagne; entr'autres un excellent Poéte Latin appellé Nicolas Bourbon, il étoit de Langres, parmi ſes Poëſies on trouve la célébre inſcription de l'Arcenal de Paris.

magis Theseos nostræ veritas evincetur, si quidem nascitur tantùm illud discrimen à dispari vini utriusque naturâ. Illud, nempe Burgundum, sat magnâ tartari quantitate abundans, propter irretitos terreâ illâ substantiâ, ac inde difficiliùs explicabiles spiritus, tutiori ac diuturniori potitur effectu. In altero tartarum ferè nullum est, adeoque spiritus omni ferè alieno commercio expediti, jamjam antè avolarunt, quàm ad cerebrum potuerint appellere, aut si illuc attolluntur, præ nimiâ suâ volatilitate, tam citò dissipantur, ut integrum suum effectum nequeant exerere, nec aliam excitent, nisi vividam, sed brevem mentis hilaritatem, nec ultrà convivii spatium vulgò duraturam: unde fit etiam ut nimia vini istius potatio ferè nullam, aut saltem levem tantùm ebrietatem concitet.

V.

UT autem hæc omnia clariùs pateant, Vini naturam & generales effectus Physicè exploremus. Vinum est succus uvarum fermentatus, sive mustum fermentatione immutatum. Si salia quæ in musto ante fermentationem multo oleo erant intricata, nativâ suâ volatilitate fractis, divisis ac dissociatis oleosis partibus quibus irretiebantur, è suis compedibus tandem evoluta, subtilissimis ac summè mobilibus quibus horrescunt spiculis, eas in spiritus immutent, vinum habes triplici constans partium genere: spirituosis nempè, quæ ex salium & oleorum luctâ oriuntur, aqueis, quæ priores temperant, ac tandèm terreis, quæ aut internis dolii parietibus concrescunt, & tartarum nuncupantur, aut sub fœcum nomine ad fundum subsident. His positis vini effectus facili operâ possunt explicari. Vini immodicè sumpti partes spirituosæ volatilitate suâ ad cerebrum magnâ copiâ evectæ, violento illic ac incondito motu abripiuntur, & delirium procreant. Ventriculus aliundè vini redundantiâ turgidus, vinosæ materiæ extrusionem continuo nixu molitur, indèque vomitus. At supradictæ illæ partes spirituosæ ad cerebrum nequeunt tantâ quantitate attolli, quin tandem nonnullas secum evehant phlegmatis particulas, quæ exilissimis spirituum animalium officinæ vasculis agglutinatæ, eorumdem spirituum fabricam motumve perturbent ac deleant, unde functionum quarumlibet à cerebro dependentium feria, somnus. Nec aliter succedit veternosa illa ebriosorum mentis hebetudo; rectèque dici potest continuata somnolentia à repetitâ supradictarum causarum actione oriunda. Si verò moderato vini haustu ventriculus tantùm incaleat, spirituosæ particulæ nullâ aquosarum partium miscelâ infectæ sanguini admiscentur, vim & robur cuilibet parti conciliant, ac per inflexos Emporii Meandros libero, sed pacato motu divagantes, expedito spirituum animalium circulo, acutos illos colloquii sales, ac honestam mentis hilaritatem pariunt. Nè quis ergò miretur si illi eâdem ut ita dicam cote ingenium acuant, quâ alii illud corrodunt & hebetant; imò nobiscum æquo animo fateatur,

Ergò ut immodicus hebetat, sic moderatus acuit vini usus, ingenium.

Proponebat Parisiis, JOSEPHUS LALLEMANT, Lingonæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.